UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

complectens sanctos Mensium, Aprilis, Maii & Ivnii

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Martyrivm S. Gordiani Clarißimi viri Vicarij vrbis Romæ, ex eo quod apud Surium extat. Passus est tempore Iuliani Aposta. Imp. Circa annum 362. Rom. Ecclesiæ præsidente Liberio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42716

Visual Library

erat) albos crines habebat, atque conſpicuos. Animam quidem Chriſtus, ſcripta poſſidet Eccleſia; corpus verò Roma tandem accipiens, nobiliſſimo condidit tumulo in Baſilica vaticana. De quo vide notas Baronij ad 11. diem Iunij.

S corpus ei⁹ Romã trãſlatum.

MARTYRIVM S. GORDIANI CLARIßIMI VIRI *Vicarij vrbis Romæ, ex eo quod apud Surium extat. Paſſus eſt tempore Iuliani Apoſt. Imp. Circa annum 362. Rom. Eccleſia præſidente Liberio.*

C. Baron. to. 4. Annal. & in not. mar. Roma.

10. Maij.

TEmporibus Iuliani, cùm Chriſtianæ pietatis fideique cultores, à iudicibus vrbiſque præfectis, ad varios cruciatus ſuppliciaque raperentur, inter alios beatus Ianuarius veneranda ſenecta & presbyterij honore conſpicuus, à Gordiano in vincula coniectus eſt. Qui cùm ſanctum Presbyterum inter quæſtionem ad deorum ſacrificia nefandamque ſuperſtitionem impellere niteretur, ô, inquit, Ianuarius, ſi ſaperes, toto corde ad Chriſtum Saluatorem verũ conuertereris, & poſt tantas vitæ huius tempeſtates, vel ſerò tandem animæ tuæ requiem procurares. Gordianus cùm ſurda aure ſancti viri admonitionem pertranſiret, noctu è cuſtodia eum ad ſe accerſens, voluit ſe eius ſermonibus oblectare. At Ianuarius qui viri clariſſimi, & ſi ingenium ſpectares, minimè mali, cæcitatem miſerabatur: Fili, dicebat, noli vanis & inutilibus ſermonibus tempus terere, ſed potius conſidera impietatatem tuam, qua in trucidandis Sanctorum corporibus, nefariè te toties contaminaſti. Agnoſce, quæſo, ſcelus tuum atque ad fontem ſalutarem propera, nè poſt tan

Ianuarius presbyter.

Ianuarij admonitio ad Gordianũ.

tan

ternaſque huius vitæ miſerias, ſempiterna te tormenta inuoluant.

His auditis Gordianus: Quid, inquit, ſi dictis tuis audiens fuero, nunquid tu mihi facinorum meorum omnium, ſuppliciorumq́ue veniã promittis? Imò verò, inquit presbyter, non modò veniam, ſed inſolitum quendam iuſtitiæ ſplendorem inſuper polliceor; qui tanto te gaudio perfundet, vt facilè cognoſcas nullã vitam eſſe, vna Chriſtianorum præſtantiorem. Hæc audiẽs Gordianus, protinùs ità animo commotus eſt, vt ingenti lachrymarum vi ex oculis profluente, ad vxorem Marinã nomine, ſe reciperet, eiq́ue Ianuarij monita panderet. Eadẽ itaq; noctis hora, vxor arrepta manu viri ſui, ad Ianuarium abijt, ſeq́ue vnà cum marito ad pedes viri ſancti abiecit, orãs atque obſecrans, vt ſalutari lauacro vtrumque expiare dignaretur. At Ianuarius: Videte, inquit, num toto corde credatis, & eam quam decet conſcientiæ puritatem circumferatis. Scio enim quàm arctè hominem conſtringant, quàmque potenter vinciãt huius mundi honores, quibus vos Imperator affecit maximis. Marina cùm hæc proponentem audiret presbyterum, continuò eum in ſuum cubiculum adduxit, & Iouis ſimulacrum, tripodemq́uè ei oſtendit, vt eadem ad vſus quoſcunque vellet deſtinaret. Sanctus autem accenſo confeſtim igne ea conflauit, & in cloacam proiecit, & ingenti cum gaudio Gordianum virum clariſſimum cum vxore Marina, & promiſcui ſexûs familia ad tres & quinquaginta ſacris aquis expiauit.

Gordianus cum vxore & 53. è familia ſua baptizatur.

Eodem tempore poſt dies quatuordecim, Iulianus miſſo ad Gordianum Clementiano tribuno, ſcire voluit num Ianuarius ad deorum cultũ

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

animum appuliſſet; cumque Tribunus familiari colloquio multa de viri ſanctiſſimi cõſtantia quæreret, Gordianus, ô Clementiane, inquit, profectò ſi veritatis lumen admittere, & Chriſtum verum æternumque Deum cognoſcere velles, ſpretis hominum minis terroribusq; ſempiternam vitam cum ineffabili gaudio contemplareris, quam ego mihi paratam intueor. Nam ad Presbyterum Ianuarium quod attinet, tantum abeſt vt ego eum ſupplicio afficiam, quin potius magno me honore affectum putarem, ſi vel pedes eius humi proſtratus exoſculari merear. His auditis Clementianus, concito gradu ad regem properauit: multisque clamoribus cumulatis excitatis, Ianuarium presbyterum ſæpius magum appellauit, quòd magicis artibus Gordianum eiusque coniugem cum tota denique familia dementaſſet: & deos in maſſam redactos conflatosque, intolerandis contumelijs affeciſſet. Tum verò Iulianus iracundia inflammatus, Gordianum catenis vinctum in cuſtodiam dari, vxorem verò perpetuæ ruſticorum ſeruituti in pago quodam quem ad aquas Syluias vocat, mancipari iuſſit. Clementianus autem à Iuliano in Gordiani dignitatem ſubrogatus, prelata poteſtate virum clariſſimum ſanctiſſimumq; multis iniurijs onerare, & mortem acriter minitari cœpit, niſi proiecta deorum ſacrificia repeteret, ſolitumque ijs honorem deferret. Tandem cùm præcisè conſtanterque nefarium dæmoniorum cultum execraretur, plumbatis cæſus capite plexus eſt: & corpus canibus, vt ab ijs deuoraretur obiectum. Sed illi tyranno ipſo humaniores, lugubri admodùm vlulatu mortẽ ſanctiſſimi viri proſecuti ſunt, illudque ac in-

Cæditur capite S. Gordianus.

cur-

curſu ferarum tam diu tutati, donec è familia vna, fida Chriſtianorum manu adiutus, ſancti Martyris corpus in Cryptam, in via Latina vno ab vrbe milliario intulit; vbi iampridem ſanctus Epimachus, inſigni virtute ac pietate vir ſepultus fuerat. Quo in loco memoria eorum multis virtutibus ac miraculis clara, in hodiernum vſque diem celebratur. S. Epimach.

VITA S. IOB PROPHETAE. PER D. *Iſidorum Epiſcopum Hiſpalenſem ſcripta.* C. Baron. in not. mart. Roma:

IOb filius Zare de Boſra, Rex Idumæorum quartus, poſt Eſau ſucceſſor Bale filij Beor, homo gẽtilis, fidelis, ſtabilis, humilitate ſummus, hoſpitalitate præcipuus, in diſciplina manſuetus, in eleemoſynis largus, diues in cenſu, exẽplum factus egenis, locuples in liberis. 10. Maij. S. Iob rex Idumæorum.

Quibus repentè orbatus tentationi traditur, ſed contra tentationem fide religionis armatus, fit glorioſus in certamine, æquanimis in dolore; damna rerum pertulit, funera pignorum doluit, corporique vulnera patienter excepit, & inter ſupplicia ſemper Deum glorificauit, mala ſua ſapienter ſuſtinuit, coniugis verba & amicorum rationes ſuperauit. Pro tanta virtute ſapientiæ, duplici in fine ſubleuatur remuneratione, & poſt rerum caſum multiplici claritate donorum. Nam poſt noctis triſtitiam, diem genuit. Poſt fœtorem vlcerum, caſſiæ odore fragrauit, ſed & poſt abiectionem eorum, inunctionem regni promeruit, & ſtibium in acceptum laudis aſſumpſit. Vixit autem poſt plagam centum ſeptuaginta & octo annis & mortuus eſt, atque ſepultus in regione ſua. Hunc verò Hebræi aſſerunt non fuiſſe de genere Eſau, Virtutes eius.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN